



Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 12. Cur quidam voluntariam paupertate[m] eligant?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

perum. Itaque ut vino alijs sanantur, alijs ad insaniam redigantur; sic diuinijs & inopiâ nonnulli exorbitant, nonnulli excitantur ad virtutem amplexandam.

§. XII.

Cur quidam voluntariam paupertatem eligant?

Tertia classis voluntariae frugalitatis, ut eam veteres philosophi vocabant, seu paupertatis, monstrat, etsi tam cōpia, quām inopia res sit quādam ex se indifferens, qua bene, vel male vti possunt mortales, longè tamen difficilius esse, modum tenere in diuinijs, quām in paupertate, ac proinde diuites prouisus virtutem exuere, pauperes constantius retinere. Hinc sapientiores plerumque sese opibus sponte abdicârunt, quas scaphæ similes sunt arbitrati. Scapham qui fluminī imponit, & aquæ decurrenti permittit, facili negotio, ipsius aquæ ductu ad mare usque descendet. Quod si autem contra fluminis impetum eam sursum propellere, & ad caput nauigare fontemq; velit, poterit quidem, sed non æquè facile, quia ratis conto subigenda, laborandū, & sudandum est. Nummi, & opes talis scapha sunt, quas si in eum cursum, quem modò

44 *Cap. II. Quid, & quotuplex*

dò Mundi res habent, diuitias tuas ducere
velis, citò, & absque labore, diuitiæ te in-
amarum damnationis æternæ mare perue-
hent: at si, contra Mundi cursum, & con-
suetissimos mores, opes tuas in cælum præ-
mittere, & tibi amicos de mammona ini-
quitatis facere conaris, poteris quidem ad
cælum contra Mundi impetum, etiam per-
opes, vehi; sed aliquid, immò multum dif-
ficultatis senties, & contra torrentem ni-
tendum erit. Hoc cùm viderent, qui ali-
quid supra vulgus viderunt, et si scirent eti-
am diuitias posse esse innoxias, immò posse
esse instrumentum, quo cæli portæ reseran-
tur, haud tamen ignorârunt annexam ijs
difficultatem, consuetudinemque hominum
communem, & illecebras, quæ quia à pau-
pertate procul sunt, ideo illam diuitijs præ-
posuerunt, tutioraque elegerunt. At quia
difficile est opes contemnere, & thesauro
præferre paupertatem; cùm tamen in hoc
cardo rei versetur, (nemo enim de pauper-
tate queretur, si eam diuitijs præstantio-
rem iudicabit) age inquisitiùs hæc duo in-
ter se collata dispiciamus, vt, si constet, di-
uites esse miseriores, pauperes autem lon-
gè feliciores, miserijs veris, veram discamus

præpo-

præponere felicitatem. Neque enim aurum, aut opes sunt homini ad vitam necessariæ, et si ei prodesse & obesse possint, sicut illa de quibus Beda ait: *Qui sunt tres amici & inimici sine quibus vivere nemo potest? Ignis, aqua, & ferrum.* Aurum amicum est & inimicum, sed sine eo multi vixerunt, viuunt, viuent.

Beda in
Collectas
neis PP.

C A P V T III.

Vel ex Ethnicorum doctrina, paupertatem diuitijs esse anteponendum.

§. I.

Pauperis ad Saturnum supplicatio, de rerum equalitate inducenda.

VREVM Saturni sæculum, aut vitam, qualis in Paradiso agebatur, optimam lætissimamque fuisse, vel Poëtæ cecinerunt. In cuius vitæ memoriam Romani veteres Saturnalia instituerunt, quibus & ipsi serui coniuantes, dominis pares essent. Ad hoc festum igitur ritè celebrandum, cùm aliquando pauperes viderent se neque nummatos esse sati, neque à ditioribus iunari, eorum quispiam hanc epistolam ad Saturnum singitur misisse

Vide Li-
psum de
Saturna-
libus.